







B. C. D.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

CHINÆ CHINÆ

MODO OPERAN-
DI, USU ET ABUSU,

Quam

Serenissimi ac Potentissimi Electoris

Brandenburgici Clementia,

Consensu Nobilissimor. Dnn. Medicorum

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO, D.

Medico Electorali Brandenburg, Prof. Prim. rerumq;

naturali, Publico & Ordinar. & p. t. Decano

Spectabili,

Dn. Præceptore & Promotore æstumatissimo,

Pro Gradu Doctorali Solennissimo inaugu-

rationis actu rite obtinendo,

Eruditorum disquisitioni subjicit,

IN AUDITORIO MAJORI

JOHANN. BALTH. SCHONDORFF,

Hall. Sax.

Die 24. Jun. Anno M. DC. XCIV. horis ante & pomeridi.

HALÆ,

LITERIS VIDUÆ SALFELDIANÆ.

DISPUTATIO IN ACADEMIA MEDICA
B. C. D.

CHINAE

MODO OPERAN- DI USU ET ABUSU

Seien stum ac Potentissimii Electoris

Brandenburgici Clementis

Consensu Nobilissimorum Virorum Medicorum

PRÆSIDE

DR. TRUDERICO HOFEMANNO, D.

Medico Electoris Brandenburgici, Prof. Prim. tenund;

Publico & Ordinar. & p. Decano

Spechtelii

Dr. Praeceptoris & Praesentatoris Assistentis

Pro Gradu Doctorali solemnissimo inaugu-

rationis agnitione obtinendo,

Eruditionem dissertationi subijcit

IN AUDITORIO MAIORI

JOHANNI BALTHE SCHONDORFF

HALL. SAX.

Die 24. Jun. Anno M. DC. LXXIX. hora nocte 8. pomerid.

HALLE

LITTERIS V. D. N. S. ALEXANDRI





I. N. J.

I.



Quod gladius in manu furiosi, id medicamentum est artis imperito. Maxime id valet de medicamentis singulari activitate & efficacia instructis, quæ perverso & depravato usu sæpissime morbi vires augent, corpus imbecillius reddunt & ægrum in præsentissimum vitæ discrimen conjiciunt. Equidem facile fieri solet, ut principium illud activum, quod in uno subjecto morbi robur infringit & destruit, in alio subjecto naturam morbi medicatricem pessundare, ipsumq; morbum roborare potest. Proinde in adhibendis omnibus remediis herculeis & generosis prudentia & circumspectio opus est, & uti Medicum nobilitare, sic quoque infamare solent, nisi cum cautione illa ipsa morbo opponamus & applicemus. Vomitoria, Purgantia, Opiata, Mercurialia, Salia volatilia heroica & efficacissima, sunt remedia, quæ divinam sæpe ægrotantibus ferunt opem, & quibus magna in medendo moliri solent Medici; si tamen sine exceptione & respectu morbi & subjectorum adhibeantur & cum prudentia usus illorum dirigatur ac ducatur, celerrime sæpe absolvunt historiam morbi fatali eventu & ægrum è medio tollunt. Ingenue itaque fateor, signum efficacis esse medicinæ, si illa abusu multum incom-

modi ac molestia creare possit. Id quod præter alia etiam demonstrat cortex chinae, de cuius singulari usu & infelicissimo abusu Disputationem meam Inauguralem conscribere institui. Deus Ter Optimus Maximus conatibus ex alto benedicat & gratioso suo auxilio nostris meditationibus assistat.

II.

Nolumus autem multum esse solliciti de ipso nomine hujus corticis ac de variis significationibus ac synonymis, quæ huic medicamento imponi solent. Indis dicitur *Quinquina*, cum Indi, *Quinam*, febrim appellant, hinc pro exhaurienda egregia febres curandi virtute, nomen hoc forsan duplicatum est. Dicitur etiam *Cortex Peruvianus*. Est cortex arboris, quæ ab incolis secundum plurimorum sententiam *Ganaperis* dicitur. Faciem ejus exhibet *Barthol. Cent. 5. histor. 50.* Item *Johann Rajus Hist. planet. l. 32. p. 1796.* Folia ejus videntur similia cum his, quæ sunt prunorum rubeorum. Non est cortex radicis uti *Sponius libr. Sur. les Fievres asserit*, sed potius arboris, uti observat *Hieron. Badus à Mortono* citatus, qui scribit, arbores istas Peruvianas omni cortice sine noxa ab incolis spoliari, sicque exutas non lædi, sed potius iuvari, ut in sequentibus annis cum foenore reddat adeo desideratum remedium. Ipsum corticem quod attinet, est ille coloris ferruginei, saporis leniter amaricantis, fatis tamen grati & aromatici, olfactui odorem spirat peculiariter mucidum, atamen suavem & aromaticum, friabilis est, non viscidus & glutinosus.

III.

Explicata sic externa febrifugi nostri indole, necessum est, ut transeamus ad ipsa interna. In amplum hic exspatiari liceret campum, si omnium sententias ad lydium lapidem vocare vellemus, at veritatis amore pauca saltem delibabimus. Qui *Peripateticorum* sectam sequuntur, corticem hunc calidum & siccum pronunciant, & ex caliditate & siccitate
operandi

operandi rationem declarant. Cum tamen, si rem libero animo & curatius spectemus, ne ullius medicamenti virtus implicata vel abscondita qualitatis talismodi vocabulo explicari possit. Quandoquidem animadvertimus, medicamentosas qualitates saltem esse concretorum potentias relativas, quibus corporis nostri fluores variis modis afficere & diversos effectus producere valent, quale calidum & humidum dicitur saltem respectu effectus, quem exferit in corpore nostro. Non enim ens quoddam absolute calidum inest concretis à modis corporis distinctum, sed saltem certa modificatio ac textura particularum, quæ pro corporum habitudine vario effectum sese exferit. Hinc videmus camphoram in uno subjecto calorem efficere, in altero illum extinguere. Opium, quod frigidum à veteribus unanimiter dicitur, sudorem tamen largissimum sæpe provocat. Spiritus vini, qui calidus omnium Peripateticorum consensu æstimatur, calorem tamen erysipelaceum externa adhibitione dissipat.

IV.

Recentiores, uti aliorum, sic quoque hujus medicamenti effectus amant deducere ex qualitatibus sensibus manifestis, & quidem plurimi amaritiam corticis, alii partium tenuitatem, imo dantur, qui vim adstringentem, virtutem alcalinam, imo anodynam in hoc cortice allegant, & ex hisce dependere volunt ejus efficaciam. Verum si per amaritiam hic cortex in expugnandis febribus ageret, alia, quæ in longe excellentiori gradu amara sunt, idem præstare deberent, quod tamen vix evenit, quamvis non negemus amara febricitantibus non esse inimica, sed ad humores viscidos austeros corrigendos satis apta, interim tamen talis specifica virtus, unica sæpe dosi febres perfecte curans, expectari ab illis non potest. Porro falluntur & illi, qui virtutem hujus corticis explicare contendunt ex tenuitate partium & sale incidente viscidos crassos humores, si enim hoc esset, revera salia volatilia & oleosa, ut & herbæ tali sale subtilissimo sætæ longe præstantiorem ederent effectum

effectum ipso hoc cortice, qui parum vel nihil plane salis acris
& alcalifati volatilis principii possidet. Nec etiam audiendi
sunt illi, qui hanc sibi imbiberunt persuasionem, extare in china
chinæ principium quoddam alcalinum, cujus ministerio pere-
grinum acidum febrile fermentum mortificetur ac deleatur.
Etenim perpetuum & solenne est omnibus alcalinis, quod cum
acido conflagant, illudque ad neutrum statum reducant, jam
autem cortex chinæ, cum nullius generis acido etiam fortissi-
mo effervescentiam edit, vel alterationem patitur, aut natu-
ram suam corrosivam amittit. Hinc firmiter etiam conclu-
dere licet, propter alcali nihil agere chinam chinæ. Equidem
fateor, si pulvis hujus corticis cum aqua forti misceatur, &
mixture calori admoveatur, bullulas quasdam se prodere, quæ
alias indicium solent esse effervescentiæ, nihilominus tamen
retinet aqua fortis corrosivam suam indolem ac minime al-
teratur ab ipso cortice, imo nec solvit illum ipsum, quod patet
exinde, quia liquori decantato si affunditur sal solutum alca-
lifatum, nihil præcipitat, sed saltim mixturam induit colore ru-
bino, forsitan à refractione luminis ob texturam superficie-
cularum immutatam. Quod autem nec aqua fortis nec alia
acida chinam chinæ solvere & in poros suos recipere possint,
evidens nata est conclusio, acida non habere potentiam vel jus
in chinæ chinæ poros, qui prorsus non accommodati sunt
acidi aculeatis particulis.

V.

Denique, qui à narcotico spirituum motum sistente ele-
mento derivare conantur virtutem chinæ chinæ, facile convul-
lendi sunt, cum alia extantiora anodyna minime febres cu-
rent sed saltem illas ad tempus mitigent, exacerbata sæpius
paroxysmorum vi. Deinde etiam ad sistendos dolores, ad
somnia procreandum minime quadrat ille cortex, quod ta-
men, si vaporosum quoddam narcoticum principium inesset,
necessario insequeretur. Inter recentiores Dn. Morton ale-
xipharmacam vim huic cortici adscribit, cujus beneficio fer-
ment

menti febrilis venenum spiritibus animalibus infensum in minima quantitate citissime deleri possit, & agere more antidotorum, venenatum fomitem expellendo & subigendo, & quidem hisce extrationibus: quoniam subito & inopinato, inque minima quantitate sine respectu ad sexum & absque omni evacuatione curationem febrium absolvit. Verum cum veneni nomen non ita late pateat, ut omnis morbus & morbi causa, quoniam spiritus animales petere & opprimere solent, veneni nomine possit indigitare & si alexipharmica vi ageret ipse cortex, longe nobilior ejus usus esset in peste, febribus malignis, morfu viperæ, canis rabidi, de quo effectu tamen nullæ prostant historiae & observationes. Nec etiam hoc verum est, in minima quantitate & promiscue, imo omnibus subjectis exhibitum hunc corticem juvare, deinde omnis pene morbus immediate alloquitur spiritus animales, illorumque crasin ac texturam opprimere tentat, hinc secundum hypothesein Mortoni, omnia specifica, quæ curarent tales morbos, agere quoque singulari vi alexipharmaca, quod tamen videtur minime rationi consonum. Tandem majoris momenti ac ponderis videtur Illustris *Boylei sententia in tractatu suo de medicam. Specif.* qui efficaciam hujus pulveris deducit, quod nimirum in corpus exhibitus cortex particulas suas cum particulis materiæ morbificæ conangat, cumque ipsis constituat neutrum quid, quod facile proferri poterit, aut quod necessario expellendum est. Verum enim vero, si hoc esset, qualitate manifesta necesse est agat china chinæ, vel ramosis sulphureis vel alcalinis vel aliis ageret & impediret activitatem materiæ morbificæ, alias revera ad occultam quandam qualitatem hic recurreremus, nisi explicemus principium illud, cujus beneficio correctio materiæ morbificæ procedat. Denique non possumus intelligere, quomodo, si materia morbosa subtilis & pauca esse debeat, ad illam ipsam procedere posset cortex in tam minima dosi, & sese cum illo ipso conjungere, si autem materia febrilis copiâ & quantitate peccat, illaque sanguini & humoribus est communicata, necesse est, ut in magna saltim quantitate cortex chinæ operetur, quod tamen experientia contradicit. VI.

Restat jam plausibilior illa opinio, dum nimirum à particulis suis adstringentibus, terreis & stypticis accersere volunt efficaciam medendi febribus. Equidem verissimum est & experientia abunde docet, adstringentia styptica in sistendis febrilibus paroxysmis magna potentia pollere; Sic notæ sunt aluminis virtutes antifebriles, ita ut etiam vulgus alumine cum nuce moschata mixto febres sæpe feliciter curet; liquor sic dictus martialis, emergens ex capite mortuo florum salis ammoniaci martialium, tinctura martis solaris intensa adstringendi vi donata in febribus etiam contumacissimis & diuturnis sæpe magna præstare solent, rite si adhibeantur. Notus est pulvis Kergeri, de quo ipse autor deprædicat, hoc solo se per quadraginta annos ultra mille febricitantes sine venæ sectione, sine purgatione, sudoriferis, diureticis, alterantibus felicissime curasse, nullo habito respectu sexus, ætatis, anni, temporis vel aliarum circumstantiarum & quidem paucorum dierum spatio sine ulla recidiva, pulvis autem hic nihil aliud est, quam corallia mixta cum debita quantitate cremoris tartari. Notabile est, hunc pulverem accedente vehiculo mirum in modum ebullire propter acidum tartari solutum & coralliorum poros subingrediens. Emergit ex hac mixtura si quoddam amaricans leniter adstringens, quale exhibet solutio seu sal dictum coralliorum. Hoc sal egregie abstergit sordes viscidas, acidas temperat & infringit particulis suis terrestribus adstringentibus, fibras & villos partium flaccidos roborat, sicque non solum in febribus sed & in aliis morbis medentibus, optatissimam spondet opem, quamvis sit longe inferius china chinæ, maxime ad ipsas curandas febres. Ex eodem fundamento quoque fluit, quod pulvis testarum ovorum cum acetosumtus in sistendis febrium paroxysmis tanta emineat virtute. Putant itaque Medicorum emunctiores, chinam chinæ crassioribus terrestribus ac minus subtilibus suis particulis motum spirituum inordinatum compescere, mixturam sanguineam ad turbationem, resolutionem & secessionem particularum & corpus

corpuseulorum sanguinis a se invicem aptam constringendo roborare, sicque paroxysmos febriles imminuere ac infirmare. Verum, quamvis non negemus, multum hic facere adstringentia, non tamen hæc virtus omnem exhaurit rem, utpote radix tormentillæ, bistortæ, aliaque adstringentia, majori vi prædita quam china, plus efficerent ipso nostro medicamento.

VII.

Discussis itaque aliorum circa corticis modum agendi opinionibus, nihil jam reliquum est, quam ut nostram etiam de hac re interponamus sententiam, illamque sufficientissimis rationibus in experientia fundatis firmemus ac stabiliamus. Antequam autem id effectui damus, operæ pretium duco, prius inquirere tam igne quam mixtionibus, variique generis experimentis in naturam ac indolem hujus corticis, qua perspecta, obvium & facile erit descendere ad operationis explanationem. Primo itaque cortex chinæ chinæ in subtilissimum pulverem redactus & per Microscopium inspectus apparet, quod constet ex oblongis & asperis filamentis & particulis porosq; innumeros habentibus, qui etiam in causa sunt, quod caput mortuum chinæ chinæ, ex quo spiritus est extractus, instar eboris usti sit nigerrimum, quoniam radii lucis in illis penitus suffocantur, in quo ratio formalis ipsius nigredinis consistit. Porro si pulvis hic indatur fistulæ tabaci & incendatur, fumus, qui prodit, leniter fauces & os constringit, styptica facultate notabilis. Idem pulvis igni commissus, in retorta exhibet spiritum acidulum empyreuma redolentem, nec non oleum empyreumaticum, odori oleo tartari non absimile, relicto nigerrimo capite mortuo, ex quo beneficio aquæ modicum salis alcalisati extrahi potest. Spiritus lapidibus cancrorum affusus, cum ipsis non solum effervescit, sed & illos promptissime solvit, ita ut solutioni instillatum oleum tartari præcipitationem harum particularum ad fundum efficiat. Cum Symplo violarum cæruleo prædictus spiritus si maritetur, evadit eleganter rubicundus, non secus ac fieri solet ab admixto alio spiritu acido. Oleum destillatum cum spiritu vini tartarifato &

B

cum

cum spiritu salis ammoniaci prompte se jungit more aliorum oleorum destillatorum. Notabile circa destillationem hoc est, quod 1. Cortex insigni amarore imbutus destillatione totum hunc saporem penitus amittat, evidenti indicio, saporum naturam in modificatione ac certa textura ac positura particularum variarum positam esse 2. Observatione dignum, spiritum, oleum & caput mortuum hujus corticis omni febrifuga vi esse orbatum, quamvis etiam iterum conjungantur in unum, quod itidem monstrat, in textura hujus corticis quærendam esse suam vim medicamentosam.

VIII.

Examined igitur per Vulcani torturam natura nostri corticis, videamus jam quænam phænomena exhibeat, conjungendo illum ipsum cum variis liquoribus, attendendo ad illos, qui sequuntur effectus. Nobilissimus enim inventionum modus est, concretorum indolem indagandi ac inveniendi per varias commixtiones & confusiones cum liquoribus varii generis attendendo ad pulcherrima infinito sæpe numero exorientia phænomena. Primo itaque rectificatus spiritus vini corticis nostri pulveri affusus statim colore intenso ex flavo rubicundo tingitur & corticis sapore imbuitur. Si essentia per longum tempus stat in vitro, parietibus vitri firmissime adhæret resinosa quædam salina substantia. Essentia hæc si destillatur, prodit spiritus vini imbutus odore gratisimo resinoso ac aromatico, remanet infundo extractum terreo resinofum leniter amaricans & adstringens, quod itidem in febribus curandis magnæ solet esse efficacæ. Olei vitrioli quantitas affusa huic tincturæ cortice in fundo adhuc existenti agitationem corticis efficit cum calore, qui & nigrescit. Aqua pluvialis admixta huic tincturæ turbida fit ac lactescit. Oleum tartari per deliquium nec non spiritus salis ammoniaci magis exaltat colorem, illumque rutilantem efficit. Si decoquitur cum aqua china chinæ, liquor evadit ex flavo brunus, amaricans, gratisimi odoris, non secus ac destillari solet ex aqua superfufo balsamo peruviano, sapor est leniter adstringens, aromaticus & resinofus, quæ aqua

sine

sine dubio in medicina usum nobilissimum inveniet. Deco-
ctum, infusum, vel etiam aqua syrupum violarum non adeo im-
mutat, paululū tamen viridescentem reddit, quod procul dubio
accidit, quod infusum flavum est & syrupus cœruleus, ex utroq;
autem colore fit color viridis.

IX.

Ex hisce itaque adductis liquidissime apparere existimo
corticem nostrum recondere principium quoddam resinofum,
balsamicum subtile & naturæ gratisimum, quod patet ex spiritu
acido & oleo, utpote omnia resinosa per ignem talia largiuntur.
II. Ex extractione cum spiritu vini & colore albicante, quem
exhibet post aquam affusam, solenne id est omnibus resinosis
ut solvantur in spiritu vini & in colorem album mutantur, si a-
queis particulis immerfa fuerit ejus solutio. III. Ex sapore tere-
binthinaceo, qui continetur in ipsa aqua destillata. Deinde
cortex noster terreas copiosas crassioris texturæ particulas, quæ
maxime apparent in capite mortuo spiritus. Terrestris hoc e-
lementum immersum est salino resinoso principio, hinc fit, ut
constringens quidam sapor & amaricans exfurgat, & terreæ
particulæ vi unionis cum resinosis transeant per decoctionem
in ipsam aquam, quod patet ex colore atro, quem ejus infusum
ad mixturam vitrioli induit, uti id familiare est omnibus corpo-
ribus, quæ particulas terrestres continent.

X.

Ex hisce itaque argumentamur, vim medicamentosam
corticis non consistere in amaritie, in vi adstringente, tenuita-
tate partium, principio resinoso &c. sed in tota corticis substan-
tia. Optime inquit *Galenus de Medicam. facult. l. ii.* Remedia
quædam specifica agere tota substantia. i. e. non juxta cer-
tas suas partes, sed quatenus omnes hæ partes totum quod-
dam constituunt, recentiores vocant texturam ac crasim, vete-
res temperiem. Ex principio enim resinoso subtili solubili &
terrestri adstringenti itidem solubili emergit quoddam ter-
tium, in quo propria illa peculiaris vis adversus febres resi-
det.

Explorato itaque principio agendi in cortice nostro, e-
erit, etiam accuratius paulo inquirere, quomodo illud agat in
corpus nostrum, & tales effectus in mitigandis febrium exacer-
bationibus præstet. Præsupponimus autem ex nostra hypo-
thesi clarissima in febribus, in rigore ipso aliquid esse spasmoti-
ci, fibillas minutissimas motrices nerveas in cortice cutis ex-
istentes spasmodice contrahi, introrsum retorqueri ob inordina-
tum spirituum animalium motum propter materiam viscidam,
acrem minutissimos tubulos obstruentem & certo sub tempore
& quantitate adauctam moleste illas ipsas fibras vellicantem,
& ad spasmodicos motus spiritus adigentem, uno verbo tran-
spirationem prohibitam per ipsos cutis poros & angustissimos
cutis tubulos materiam voporosam foras eliminandis occlusos
constituere causam occasionalem ipsius frigoris & subsequens
caloris. Spasmodice itaque in ipso principio paroxysmi istis
fibris contractis materia morbifica in latibus & recessibus hæ-
rens in sangvinem reprimitur, quæ non potest non miros exci-
tare tumultus, ipsius sangvinis texturam turbare, situm & or-
dinem ipsorum corpusculorum immutare, calorem accendere,
& motum inordinatum & inæqualem universæ machinæ conci-
liare, in quo consistit ipsa ratio formalis febris. Paroxysmo
autem cessante, tubuli in cortice cutis hærentes, à nimia incale-
scentia sangvinis laxiores redditi, robore spirituum animalium
propter eorum dissipationem naturali destituti, peregrinam &
novam materiam ex sangvine facile admittunt, quæ inibi sta-
gnat, quoniam propter imminutum fibrillarum robur non po-
test foras ejici, corrumpitur, vasa occludit, & novum febrile
fermentum causatur novumq; paroxysmum febris præbet.
Hisce itaq; præmissis, facile patet illa ipsa medicamenta, quæ
vi nervos roborandi pollent, & leni adstrictione fibras laxio-
res factas corroborant ac tonum restituunt, ac motum lenem
constrictivum fibris inducunt, ita ut ad materiam expellen-
dam non modo idoneæ iterum reddantur, sed & stagnans ma-
teria in poris impediatur, indicatissima hic esse. Hoc autem
feliciter

feliciter præstat cortex noster principio suo resinoso aromati-
co gratisimo leniter adstringente, quod mediante menstruo
salivali activissimo & calore blando solutum in ventriculo &
& primis viis, & cum chylo ac lymphâ ventriculi delatum ad
sanguinem, illum non modo in mixtura sua firmat, sed & leni
sua balsamica adstrictione ad angustissimas fibras delatum illas
leniter constringit, novumque vigorem ac robur inducit, om-
nis enim corroboratio & vigor partium nostrarum consistit
in hoc, ut ad naturalem motum fiant aptæ, quod accidit leni
constrictione, dum nimirum tubulorum parietes arctiores fiunt,
tunc concentrantur ipsi spiritus animales ceu supremum &
eminens machinæ nostræ movens. Ipsa enim celeritas an-
gustiam loci compensat, imo per tubulum minorem liquor ci-
tius se movet quam per majorem, uti videmus in mechanicis
in minutissimos tubulos instar crinium sua sponte ascendere
humores. Roboratis itaque tubulis cutis, ipsaque sanguinis
mixtura restituta, accidit, ut non solum sanguis, spiritus anima-
les & omnes fluores æquabiliter moveantur & suum officium
faciant in œconomia animali, verum etiam ad materiam mor-
bificam è corporis sphaera eliminandam promptiores evadant.
Deinde etiam china chinæ sanguinem ad dissolutionem & se-
cessionem corpusculorum suorum per paroxysmos febriles di-
spositum leniter constringit, ejus mixturam firmiorem & soli-
diorem reddit. Videmus hoc si sanguinem cum decocto chi-
næ chinæ infundamus, illum ipsum crassescere. Roborata sic
textura ac crassi sanguinis non ita rarefieri potest, nec fermentum
febrile illud in motum tam facile concitari potest tumultu-
arium. Proinde omnes, qui sanguinem crassum habent non
sentiunt à calore nimio talia symptomata. Referunt, qui hi-
storiam nostri corticis naturalem describunt, incolas à nimio so-
lis æstu, caloreq; se defendere ac minuere certa quantitate hu-
jus corticis devorata, uti etiam videmus in thermometris, quo
subtilior & spirituosior est liquor, eo facilius à calore rarefit &
spatium majus acquirit, quo autem crassior, eo expansio & dila-
tatio est difficilior. Eodem modo in corporis nostri tubulis,

qui verum thermometron repræsentant, sanguis crassior factus à cortice non ita à calore expandi & rarefieri potest, hinc etiam calor tam gravia excitare potest symptomata. Quare etiam omnia, quæ sanguinem condensant antifebrili vi celebria sunt, uti radix tormentillæ, pentaphylli, sanguis Draconis, alumen, viscus quercinus, terra sigillata & pericarpia ex adstringentibus confecta, quæ sæpe magnum usum habent. Chinæ chinæ decoctum calidum si sanguini affunditur ex vena extracto nigrescit in momento cruor & crassescit; quod si vero cum lacte tentes, casescere incipit.

XII.

Hiscæ itaque sufficienter deductis, proximum est, ut ad institutum nostrum propius accedamus, & famosi ac multiplici experientia probati nostri corticis usum paulo fusius tradamus annexo simul ipso abusu. Placet autem primo effectus potissimos, quos in corpore nostro exserit, recensere ac indigere. Quoad primum notum est, chinam chinæ febrium omnium intermittentium paroxysmum sequentem, si debita dosi offeratur, ut plurimum præcaveri. II. Observavimus sæpissime datum hunc corticem maxime in substantia corporibus impuris, quorum ventriculus & primæ viæ sordibus pituitosis acidis scatent, & excretiones per alvum & urinam suppressæ, quiq; nervosum genus debile habent & ad spasmodicos, hystericos v. g. hypochondriacos motus proclives sunt, maxime in febribus, ubi remissiones paucæ sunt, sæpe multum nocere, febre scilicet in sequentibus paroxysmis adauctæ, vel in continuam versa inque longum excurrente. Observantur inde languores, affectus comatosi, anxietates summe præcordiales cum syncope, recidivæ etiam periculosiores, motus convulsivi, spasmodici. Non ita pridem ab usu intempestivo hujus remedii observavit *Excell. Dn. Præses* epilepsiam in febricitanti moniali, quæ deinde vomitoriis, specificis antepilepticis expugnata est.

XIII.

XIII.

Deinde videmus, nullam evacuationem notabilem, seu per vomitum, urinam, sudorem, alvum ordinarie à cortice hoc excitari, nonnunquam tamen accidit ut non solum sudor sed & urina copiosa, quod *Dn. Sydenham. & Jones tr. de febr.* observarunt copiosissime post usum ejus prodeant, & ipsam alvum non raro instar purgantis exerceat, maxime si quædam salina admixta fuerint, ita ut sæpe in praxi ad inhibendam hypercatharsin anodynis nimium alvi fluxum sistere debeamus. Evenit hic, quando copiosis, pituitosis, biliosis excrementis intestina distenta sunt, & fibræ intestinales plus justo dilatatae ad excretionem vitiosorum humorum non se componere queant. Roboratis itaque denuo fibræ dictis virtute corticis, simulque viis biliaris irritatis & leniter contractis vitiosorum humorum saburra magno cum tumultu ac impetu è corpore eliminatur. Observavimus in febribus tertianis; & quarum bilis acredine quadam delinquit, alvi fluxum à china chinæ facilius excitari. Retulit mihi *Excellent. Dn. Præses*, se observasse in Pastore laborante tertiana, cujus alvus diu adstricta fuit, qui quotiescunque pilulis ex sola china confectis usus fuit, statim alvum deposuit, firmiter sibi persuadens, pilulas has in usum purgandi esse datas. In quartanariis & illis personis, qui acidis, ponticis humoribus abundant, ulteriorem alvi suppressionem causatur hic cortex. Præter hanc alvum stimulandi facultatem observata quoque fuit singularis efficacia in proritando insigni salivæ fluxu. Sic retulit mihi non ita pridem *Præticus hujus civitatis Celeberrimus Dn. D. Knautius*, se aliquando ad febrem intermittentem domandam fœminæ quadraginta annorum in forma pulveris & etiam pilularum dedisse, & notabile est, quotiescunque assumserit, semper insignem salivæ fluxum, imo semel ipsum chinæ pulverem ratione saporis & odoris dignoscibilem ex ventriculo ad ipsum os ascendentem cum spumascentia & fermentatione interna observavit.

XIV.

Tandem sat frequenter observari potest, paroxysmos, postquam per sex vel septem vices ab usu corticis destiterint tandem redire eundemque cursum, eadem pariter forma repetere, & hoc non solum modo illis accidit, qui minus sanitati suæ curam habent, sed & cautissime viventibus, maxime si aeris constitutio sit epidemica & ad febres disponat. Insuper observatione constat frequenti, à cathartis fortioribus, quæ sal quoddam causticum naturæ inimicum recondunt, præpropere administratis recrudescere istos affectus, ægrius sæpe domabiles, quam ab initio fuerant. Tandem frequenti observatione habetur, post usum chinæ in febribus pulsus statim mutari, urinam, quæ antea erat turbida, naturalem fieri, notante id ipsum *Magnifico Dn. Krugio obs. 2. Ephem. German. Dec. 2. A. X.* Faciem fieri rubicundior, actiones corporis vegetiores, imo sæpissime observatum fuit, plures hujus medicamenti usu à febribus liberati citius vigorem pristinum recuperare, quam qui aliorum febrifugorum ope convaluerunt. *Celeberrimus Sydenh.* observavit raro corticem levare malum, & speratum effectum ægrum percipere, si lecto in corticis usu multum addicat & desidiam magnopere colet. Tandem experti id sumus chinam chinæ longe infeliciorem effectum edere, si statim primis insultibus opponatur, vel etiam si nimis tarde ad usum hujus medicamenti accedamus longo tempore jam febre invalescente.

XV.

Quod modum exhibendi spectat, plures excogitatae sunt præparations & formulæ. Efficacissime tamen datur in substantia. Ut tamen palato consulatur, optime sumitur in forma pilulari, si nimirum cum mucilagine tragacanthi, vel cum ipsa theriaca fiant pilulæ, vel in forma boli & electuarii miscendo nimirum illum corticem cum rob juniperi vel cum syrupo rosarum additis aliquot guttulis olei caryoph: Potest etiam propinari cum aqua v. g. menthæ addita ad gratiam concilian-

clliandam sufficienti quantitate julepi rosarum. Deinde longe
efficacior ejus effectus percipitur in substantia quam in essen-
tiis, decoctis & elixiriis, & melius etiam si sine admixtione
salium vel aliorum febrifugorum, quæ sæpe contraria vi pol-
lent & efficaciam hujus medicamenti infringunt. III. In sub-
stantia datus diutius in ventriculo commoratur, quo fit, ut par-
ticulæ ejus à menstruo salivali jugiter & comminuantur & cum
ingestis alimentis & liquoribus communicentur cum chylo usq;
intus convehendæ, quo pro morbo edomando plenius auxi-
lium nervis ac sanguini suppeditetur. IV. Offeratur autem
china chinæ sat largis dosibus & quidem adultis ad pondus
drachmæ semis, & eadem dosis tertia qualibet hora ad mi-
nimum iteretur, minoris ætatis hominibus ad scrupulum u-
num detur reitetata dosi hora quavis secunda, quo effectui
producendo idonea satis deportetur quantitas & jugi tenore
suggeratur, ut hic tanto certius opprimatur hostis. V. Illi
qui abhorrent à pulvere, & quorum ventriculus est debilis &
pluribus viscidis sordibus refertus, assumere possunt ejus de-
coctum cum aqua vel vino factum, bene tamen saturatum,
ut autem eo melius fiat extractio in coctione, in subtilissimum
pollinem redigi debet cortex, quo sic copiosius minutiores ejus
particulæ à liquore solvantur. VI. Cum vino spirituofo qui-
dem fieri potest extractio, maxime pro illis personis, ubi fer-
mentatio ac spirituascentia sanguinis & chyli depressa. VII.
Si diarrhæa urget, potest aliquid immisceri de laudano rite
parato. VIII. Si fitis & calor intensissimus adsit, præstat
chinam exhibere cum nitro præparato vel nitro antimoniato.
IX. Optime autem datur ille pulvis diebus intermissionis, &
quidem uti antea dixi iteratis vicibus, ut successiva fiat in ven-
triculo solutio & imprægnatio massæ sanguineæ, & post devi-
ctos paroxysmos ad plures dies continuetur quoque medica-
menti exhibitio, quo sic præsto sint in sanguine novæ subsidia,
alias facile iterum accidit recidiva. X. Consultius est corticis
exhibitionem à paroxysmi declinatione auspicari, quia sanguis
à declinatione plurimum contractus ac pacatus corticis con-
C strictioni

strictioni facilius parit, nec statim à pastu sumi debet, sed aliquot horis post.

XVI.

Quoad ipsum abusum chinae chinae I. statuimus in febribus contumacissimis diuturnis, quae obstructiones viscerum profomite ac minera habent, prius danda esse aperientia ad obstructiones illas referendas. Hunc in finem conducunt martialia, antimonialia, salina. Laudatur hic in pulverem limatura martis cum regulo antimonii medicinali & terra foliata tartari mixta, item mercurius dulcis, mercurius diaphoreticus jovialis, tinctura martis Zwællferi, salia abstersiva varia v. g. sal digestivum Sylvii mixtum cum arcano duplicato, terra foliata tartari, solutione oculorum cancrorum &c. Expeditis itaque obstructionibus felicissimo cum effectu datur noster cortex. II. Quando febrium fomes ac minera est in primis viis, illaeque infarctae sunt saburra vitiosorum humorum, semper debita laxantia vel etiam vomitoria lenia praemitti debent, ut depleantur haec viae ista saburra, quae extractionem medicamenti & activitatem impedit. Itaque cortex nunquam est exhibendus, maxime in substantia, nisi ventriculo bene purgato à pituita, quae corticis particulas oblinat, & quasi visco implicat, sic saepe inseparabiles massae in ventriculo efformantur, quae nisi purgans exhibeas summas efficiunt anxietates. Vidi à purgante assumpto pulverem hunc excrementum in magna quantitate. III. China chinae nunquam danda est in plethora, ideoque ubi adsunt plethorae signa, venae sectio prius est administranda, sic saepe multa symptomata mitescunt, quoniam sanguinis missio vias referat, fluiditatem humoribus impertit & corpus *εὐπαρόν* facit. Ratio autem cur plethoricis multum nocere solet exhibitus cortex est, quoniam poros magis constringit & arctiores illos facit, qui tamen aperti esse debent, ut eo melius transpirare & ventilari possint particulae ferrosae sanguinem augentes. IV. Ubi transpiratio prorsus imminuta est in febribus, cutis firmissima, urina
cruda

cruda ex albo flavescent, frigus cum affectibus spasmodicis pluribus stipatur, tunc etiam cautissime mercandum est cum hoc medicamento. Præstat autem prius aperire ipsos poros subcutaneos mixturis, huic fini inservientibus. V. Ubi adsunt oris amaror, pondus supra ventriculi regionem, nausea, vomitus, appetitus dejectus, anorexia, inflationes, ructus, non statim china est exhibenda, sed prius emetica, quoniam hæc symptomata indicant, circa præcordia mineram febrium nidulari. VI. China chinæ nunquam est danda alvo adstricta existente & si intestina scybalis durioribus sunt infarcta, quoniam adstrictio sæpe augetur. Hinc scribit *Dn. Etmiill. de usu & abusu præcipit.* Sæpius observatum fuisse ex china chinæ abusu febrifugo in subjecto teneriori pertinacissimam alvi inductam adstrictionem, cum abdominis tumore ac tensione molestissima. VII. Nunquam adhibenda est in paroxysmo vel etiam ante paroxysmum. Multoties observavimus infelicem successum & semper gravia excitata fuisse symptomata, nimirum contractiones spasmodicas, anxietates præcordiales fuisse adauctas, ratio enim in promptu est, utpote hoc medicamentum adstringente sua vi sanguinis texturam constringit, hinc fermentum febrile massam sanguineam turbans majorem resistantiam inveniens, omnia majori tumultu, calore ac impetu exsequitur. Deinde etiam cortex in ipso frigore contractiones illas spasmodicas tubulorum nerveorum in ipsa cute existentium adauget vi sua constringente, hinc adstringentia ante paroxysmum data cane pejus & angue vitanda, quippe quæ ægrum è medio tollere solent, uti refert *Dn. Sydenhamius* Quosdam pulverem illum immediate ante paroxysmum exhibitum è vita sustulisse. Vel etiam paralyfin, apoplexiam, epilepsiam, icterum, colicam convulsivam excitare apta sunt, uti innumeris experimentis demonstrari potest & id lugubres multorum Practicorum observationes testantur. VIII. In exhibitione china chinæ alvus non movenda, nulla sudorifera, calida, purgantia, vomitoria, turbantia vel in usu, vel post ejus usum exhibenda, alias facillime febris recidivat. Ratio hæc est, quoniam

niam

niam illa ipsa medicamenta contrariam operandi vim habent, cum cortex chinæ roborat & constringit, illa autem sale suo calido acri resolvunt ac stimulant. Hinc notavit *Dn. Ettmull. l. c.* A spiritu salis ammoniaci exhibito febres prompte recidivasse, adeo ut illis, quibus ex corticis illius usu febris quidem curata palliative, incrementibus aliis gravioribus symptomatibus, febris per propinationem spiritus salis ammoniaci resuscitata fuerit. Purgans post usum si exhibere volumus, optima sunt amara, uti rhabarbarum, alöe. IX. Si à corticis usu proximus paroxysmus immutetur vel imminuatur, usui insistendum; si minus accidit desistendum, & si in pluries repetitis dosibus rem suam non exsequatur rite, pertinaciter non insistendum, sed desistendum aliquandiu, datis deinde aliis aperitivis & antifebrilibus, iterum oggestus pulvis sæpe optatos successus adimplet. X. Omnia spirituosissima & calida in exhibitione chinæ vitanda, hinc optime inquit *Dn. Jones tr. de febr. 212.* Regimen calidum, decubitus in lecto, usus generosi vini & cardiacorum corticis vim eludunt & operationem retardant, quia sanguinis rarefactio, quæ à calore efficitur, constrictione corticis se opponit. Sic ulcus internum, pulmonum puta & renum &c. non solum corticis effectum protelat, sed nonnunquam eludit & paroxysmos abactos paucis diebus revocat, quoniam heterogeneus & sordidus ulceris ichor sanguini se immiscens ejus compagem referat, & perturbat, & febrem, quam hecticam nominamus, excitat, quæ dum sanguinem rarefacit & exagitat corticis vim adstrictivam amolitur, & ichore sanguini perpetim suggesto paroxysmos prius abactos denuo accersit. Sed quoniam tempus plura addere vetat, hæc de nostro febri-fugo dicta sufficiant. Interim Tibi Triune Deus pro clementissima assistentia, gratiosissimaq; directione æternas habemus gratias

✠ (o) ✠
✠





00 A 6326 (1)

ULB Halle

3

004 103 416





B. C. D.
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

CHINÆ CHINÆ

MODO OPERAN- DI, USU ET ABUSU,

Quam

Serenissimi ac Potentissimi Electoris

Brandenburgici Clementia,

Consensu Nobilissimor. Dnn. Medicorum

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO, D.

Medico Electorali Brandenburg, Prof. Prim. rerumq;

naturali, Publico & Ordinar. & p. t, Decano

Spectabili,

Dn. Praeceptore & Promotore estimatissimo,

Pro Gradu Doctorali Solennissimo inaugu-
rationis actu rite obtinendo,

Eruditorum disquisitioni subjicit,

IN AUDITORIO MAJORI

JOHANN. BALTH. SCHONDORFF,

Hall. Sax.

Die 24. Jun. Anno M. DC. XCIV. horis ante & pomeridi.

HALÆ,

LITERIS VIDUÆ Salfeldianæ.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black